



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1766**

Titulus XXIII. De Furto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)

## TITULUS XXIII. DE FURTO.

*Conf. Decretal. Lib. V. Tit. 18. § 24.*

§. 298.

**F**URTUM dicitur *Contrectatio rei frau- Furti de-  
dulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius finitio.*

*rei, vel etiam usus ejus, possessionisve 33.)*

Unde ad furtum proprie dictum requiritur I. Ut res actu auferatur; nam sola cogitatio furti faciendi non facit furem pro foro externo; pro foro autem interno coram DEO furti reatum committit, qui furari intendit 34.). Qui fores effringit, furti faciendi gratia, potest utique puniri: furti tamen reus non est. II. Ut res sit corporalis & mobilis. III. Ut sit aliena, vel saltem alteri competat jus in ea, quale habet creditor in pignore. IV. Contrectatio debet esse fraudulenta, & lucri faciendi gratia. Is qui depositum abnegat,  
A a non

33.) L. 1. §. 3. ff. de Furt. §. 1. Inst. de Oblig. quæ ex delict. nasc.

34.) *Si propterea non facis furtum, quia times, ne videaris, intus fecisti, in corde fecisti: furti teneris, & nihil tulisti.*  
C. 29. dist. 1. de Pœnit.

*De Judic. Crim.*

non statim furti tenetur; sed ita, si intercipiendi causa occultaverit. V. Ut dominus rei sit rationabiliter invitatus 35.): invitatus non præsumitur, qui videt rem suam contraheri ab alio, & non contradicit, cum nulla ratio ipsum prohibeat, quo minus contradicat. Rationabiliter autem invitatus non potest esse debitor, si creditor utatur compensatione occulta, servatis debitis conditionibus 36.): aut si quis in summa necessitate tantum auferat, quantum exigit necessitas.

*Quis de furto tenetur?*

§. 299. Furti tenetur, qui mandato, consilio vel auxilio furti causa est: item qui furem cum re furtiva scienter recipit & occultat 37.). Qui rem jacentem invenit, ignorans cujus

35.) Recte dictum est, qui putavit se domini voluntate rem attingere, non esse furem. L. 46. §. 7. ff. de furt.

36.) De quibus conditionibus dictum de Jur. Rer. Eccles. sect. 4. tit. 23. de Solution. §. 620.

37.) Qui furem novit, sive indicet eum, sive non indicet, fur non est: cum tantum intersit, furem quis celet, an non indicet: qui novit, furti non tenetur: qui celat, hoc ipso tenetur. L. 48. §. 1. ff. de furt.

ius fit, tenetur de rei domino sufficienter indagare: qui hanc indagationem omittit, & rem retinet, furti tenetur 38.).

§. 300. Furtum dividitur I. in *simp. Furti di-*  
*lex & qualificatum*, quod fit cum effra-  
*visio.*  
 Etione violenta ædium, cubiculi, ci-  
 stæ, vel seditiose cum armis, aut in-  
 ter minas majoris mali. II. In *Parvum*  
 & *Magnum*, quod in ordine ad pœnas  
 publicas æstimationem quinque soli-  
 dorum, seu juxta sensum harum  
 Provinciarum, quinque Ducatorum,  
 aut viginti florenorum æquat: æsti-  
 matur autem sola res ablata, non  
 annumeratis aliis expensis domini.  
 III. In *Primum & iteratum*. IV. In *diur-*  
*num & nocturnum*. V. *Sacrilegum & Pro-*  
*fanum*. VI. *Domesticum & Extraneum*.  
 VII. *Manifestum & nec manifestum*, quæ  
 tamen divisio hodie non habet usum.

A a 2 § 301.

38.) Sic intelligitur C. 6. XIV. q. 5. *Si*  
*quid invenisti, & non reddidisti, rapui-*  
*sti: quantum potuisti, fecisti. Et C. 8.*  
*Multi sine peccato putant esse, si alienum,*  
*quod invenerint, teneant: & dicunt,*  
*Deus mihi dedit, cui habeo reddere? di-*  
*scant ergo, peccatum hoc esse simile rapin-*  
*æ, si quis inventa non reddat.*

*Actiones  
ex furto.*

§. 301. Furtum hodie est crimen publicum, publica pœna vindicandum. Dantur autem ex furto actiones duplicis generis: aliqua sunt rei persecutoria, ut *Rei vindicatio* competens domino rei furto ablata contra quemcunque detentorem; & *Conditio furtiva*, qua petitur vel res ipsa furto sublata, vel interesse, si res non extet: datur hæc contra hæredes, etsi nihil ad eos pervenerit, etiam fure suspenso 39.). Rem furtivam non potest sibi vindicare Fiscus, aut Magistratus, si certus sit dominus non obstante abusu contrario quorundam locorum. Aliæ actiones sunt persecutoria pœnæ, uti *actio furti* ad duplum vel quadruplum, quæ in plerisque locis in desuetudinem abiit: & *Accusatio Criminalis* ad pœnas publicas a Jure statutas. Actio furti, quæ est famosa, non instituitur contra uxorem, filios &c, sed actio rerum amotarum: contra domesticos, famulos &c. etiam criminaliter proceditur.

§. 302.

---

39.) Propositionem hanc contra Carpovium optime defendit Clariss. D. Colega Sutor Elect. jur. & for. Concl. 73

§. 202. Pœna criminalis furti mag- Pœne  
 ni hodie est laqueus 40.). Quidam *furum.*  
 hanc pœnam iniquitatis arguunt, cum  
 nulla sit comparatio quinque solido-  
 rum cum vita hominis. Verum ut  
 vitium hoc e Republica tollatur non  
 ad res furto ablatas, quas actione  
 civili dominus vindicat, sed ad ipsum  
 delictum adversus leges Reipublicæ  
 commissum, in pœnæ capitalis infli-  
 ctione habetur respectus. Tanta e-  
 nim ad hoc crimen deprehenditur,  
 subditorum pronitas, ut etiam pœna  
 capitali absterreri non possint. Cre-  
 scentibus igitur delictis, crescunt e-  
 tiam pœnæ 41.). Furta minora pu-  
 niuntur arbitrarie, sive sit primum,  
 sive secundum, modo utrumque non  
 constituat summam gravem. Tertium  
 aut sæpius reiteratum furtum, etsi  
 summa sit modica, in multis locis  
 punitur morte, accedentibus præ-  
 fertim circumstantiis aggravantibus,  
 & in Bavaria quidem, modo omnia

A a 3                      tria

40.) Ex Constit. FRIDBRICI I. lib. 2.  
 feud. c. 27. §. 2. & CAROLI V. in Con-  
 stit. Crimin. art. 160. seqq.

41.) OLDENBURGER de quatuor Ele-  
 mentis. Tit. 4. de Jure circa aerem §.  
 19. fol. 464. seqq.

tria furta ascendant ultra triginta  
 cruceigeros, etiam si quis ob primum ac  
 secundum furtum non sit correctus,  
 ubi obiter notandum, non pro ter-  
 tium repetito, sed quoad pœnam pro  
 uno tantum furto haberi, si quis in  
 diversis quidem, sed tamen ejusdem  
 pagi aut civitatis ædibus, eadem no-  
 ãte tria furta committat 42.). Si plu-  
 res sint socii, omnes sumuntur pro  
 una persona, nec ad pœnam mortis  
 opus est, ut singuli acceperint vigin-  
 ti florenos. Si furta sint periculosa,  
 armata manu, vel facta per conjura-  
 tam furum cohortem, mox prima  
 vice puniuntur morte, non attenda  
 summa furto ablata. Fures quatuor-  
 decim annis juniores non solent mor-  
 te, aliis tamen pœnis corporalibus  
 castigari, nisi malitia suppleat æta-  
 tem, & iterata furta periculosis cir-  
 cumstantiis graventur, quo casu pos-  
 set talis puer requisito prius iudicio  
 Jurisperitorum, morte puniri 43.).  
 Qui pisces, caneros &c. ex locis clau-  
 sis surripiunt, æquiparantur aliis fu-  
 ribus:

42.) Vide BÖHMERT tom. 2. part. 2. Resp.  
 1069. n. 8. SCHWESER de Procell. Crim.  
 sect. 2. c. 13. §. 182.

43.) Const. Crim. Art. 164.

ribus: fures tamen lignorum, frumenti in publico campo, frugum ex arboribus, volucrum non clausarum, mitiori pœna afficiuntur. Mitigari etiam solet pœna, si res furto ablata mox sponte restituatur domino, antequam moveatur actio. De furtis sacrilegis alibi dictum Tit. XXI.

§. 303. Sicut in multis aliis, ita *Per* *ve-* etiam in eo ab antiquorum Imperato-*nationem* rum moribus recessum est, ut Principes *prohibi-* Jus venandi, vi Superioritatis terri-*tam* torialis, hodie suis Regalibus annumerent, ita ut in multis locis nemo alius, nisi qui jus istud ex speciali concessione, vel alio legitimo titulo obtinuerit, venari licite possit. Unde in plerisque Provinciis peculiaria Statuta conduntur, quibus severe prohibentur venationes, præsertim in silvis propriis Principis, vel banno ferino munitis 44.). In ejusmodi Statutis clancularii venatores passim vocantur *fures ferarum* (Wild-Diebe): unde quæstio oritur, an ve-

A a 4 na-

4.) Talis prohibitio jam habetur in Pacto Legis Salicæ Tit. 36. Recentiora Edicta contra venationes collegerunt FRITSCHIUS & STRYCKIUS.



natores clancularii contra prohibitionem sternentes feram, sint vere fures, & feræ dominium non obtineant?

*Non ac-* §. 304. Si ex jure communi vulga-  
*quiri do-* rem sequamur sensum vocum, pro-  
*minium* prie fures dici non poterunt, occu-  
*feræ, cen-* pando feras in nulla custodia deten-  
*sent ali-* ras, sed naturali sua libertate gau-  
*qui:* dentes. Nam *feræ bestia, & volucres,*  
*& pisces, & omnia animalia, quæ mari,*  
*celo & terra nascuntur, simul atque ab*  
*aliquo capta fuerint, jure gentium statim*  
*illius esse incipiunt: quod enim ante nul-*  
*lius est, id naturali ratione occupanti*  
*conceditur 45.).* Censent aliqui, res  
in nullius privati dominio existentes,  
esse in Principis saltem incompleto  
dominio, quamdiu res ea est in natu-  
rali sua libertate, & facile transeun-  
do in aliud territorium, constitui po-  
test in dominio alterius. Si vero in  
hoc territorio fera sternatur, ut ef-  
fugere amplius extra territorium non  
possit, eo ipso putant, transire hanc  
feram in dominium completum &  
perfectum hujus Principis, in cujus  
territorio sternitur. Nam dicunt, non  
qualibet occupatione acquiri rerum  
domi-

---

45.) §. 12. Inst. de Rer. Divis.

dominium, sed necessarium esse titulum, seu legem, ex qua moralitas, seu non repugnantia occupationis cum recta ratione concipitur: occupationem igitur absque titulo nullam esse; sine hoc enim res occupabilis non est. Inde concludunt, rerum occupari prohibitarum nullam esse occupationem, nullam dominii acquisitionem; sed potius res ab uno tantum, vel paucis occupabiles, ab alio occupatas ejus fieri, qui eas occupandi privative jure gaudet.

§. 305. Hæc, aliaque <sup>si</sup> milia ra- Conve-  
ticiocinia, non prorsus solida esse vi- nientius  
dentur. Nam difficile creditu est, *alii con-*  
Principes nostros, dum jus venandi *cedunt*  
sibi solis reservant, velle immutare *domi-*  
conceptum Dominii, ab omnibus *nium.*  
retro seculis ubique receptum, &  
usu firmatum. Stante ubique rece-  
pta Idea *Dominii*, posse prohiberi  
venationes, juri etiam communi non  
adversatur, ex cujus mente, *qui alie-*  
*num fundum ingreditur venandi aut aucu-*  
*pandi gratia*, potest a domino prohiberi,  
*ne ingrediatur*: nihilominus non ob-  
stante prohibitione, *quicquid eorum*  
*ceperis, eo usque tuum esse intelligitur,*  
A a 5. donec

*donec tua custodia coercetur 46.)* Iustissimæ aliæ possunt esse rationes prohibendi subditis venationes, non quidem ratione domini, quod habet Princeps in feras; sed ex aliis motivis, quæ plerumque in Edictis prohibitoriis allegari solent 47.), modo vicissim domini territoriales caveant, ne ex ferarum multitudine damnum agris subditorum immineat, ac ne domini silvarum ad fovendas feras impediuntur a legitimo usufructu fundi sui. Nemo exigit, ut Princeps nostri imitentur exemplum VALENTINIANI Imperatoris, de quo S. AMBROSIIUS narrat his verbis 48.): *ajebant aliqui, ferarum eum venationibus*

46.) Ibid.

47.) Inter alias posset etiam esse ratio prohibendi, quod per nimiam ferarum stragem, jus venationis reddatur notabiliter deterius, & magna Principis utilitas intervertatur. P. IGNATIUS SCHWARZ in Effigie Historiæ Bavaræ Stat. 1. fol. 8. ex Ertelio in Relat. curios. Bav. refert, quod sola aprorum venatio MAXIMILIANI I. Electoris Bavarum ærsario ultra ducenta florentinorum millia quot annis intulerit.

48.) Conc. in obitu VALENTINIANI tom. 5. fol. 107.

lus occupari, atque ab actibus publicis intentionem ejus abduci: omnes feras uno momento jussit interfici. Illæsum, in-violatumque subsistit Principi jus venandi, & venationes subditis prohibendi, etiamsi immutatus subsistat conceptus domini in feras, ex jure communi ubique receptus.

§. 306. Quando Leges justæ con-<sup>Pœne ve-</sup>tra venationes clancularias promul-<sup>nationis</sup>gatae sunt, oportet omnino, ut immo-<sup>prohibi-</sup>dicus venandi pruritus pœnis coer-<sup>ta.</sup>ceatur, & autoritas Legislatoris contra temerarios violatores defendatur. Communissima & levissima pœna est, ut ejusmodi venatoribus auferantur feræ occupatae. Circa alias pœnas discrimen fit inter venatores ob unum aut alterum actum prima vice ad Judicem delatos; & inter alios jam famosos ex frequentatis actibus, vel sententia Judicis infames; & demum inter eos, qui etiam legitimis venatoribus infidias vitæ struunt, & ideo variis artibus vultum, habitumque immutant, ne agnoscantur. Graviores, etiam mortis pœnas in hos ultimos statui videmus: alias satis graves, relegationis, damnationis ad opus publicum &c. in omnes, qui

qui prohibitas venationes exercent, decerni experimur 49.). Unde ex hoc etiam capite graviter ejusmodi venatores delinquent, quod se & familiam suam ex venandi pruritu gravissimis damnis exponant. Varie, præsertim pecuniariæ poenæ infliguntur iis, qui ejusmodi venationes fovent, custodiendo arma & Instrumenta venandi apud se deposita, occultando, vendendo, vel emendo feras contra prohibitionem stratas. Quæ de feris terrestribus dicta sunt, intelliguntur etiam de Volucris nobilioribus, Phasianis & aliis, quibus alendis & conservandis singularis cura impensis Principis adhibetur 50.).

§. 307.

49.) Abstineo a recensendis aliquibus poenis, quæ probabiliter nunquam executioni datæ sunt.

50.) Vid. Ill. D. Baro DE ICKSTATT Opusc. VIII. de eo, quod jure naturali circa venationes juris est. Et opusc. IX. de eo, quod jure publico circa venationes juris est. JOAN. PETRUS DE LUDWIG de Differentiis Juris Romani & Germanici in Venatu &c. D. ULRICH de Feudo Venationis. Autorum, Edictorum, & jurium ex hoc Regali competentium longam seriem fuit

§. 307. Huc opportune refertur *Qua ra-*  
*Rubrica Decretalium de Clerico Venatione*  
*tore.* Clericos Germanos & Gallos *competat*  
 venationi deditos esse, jam pridem *Clericis*  
 observavit NICOLAUS PAPA 51.). Un- *Jus ve-*  
 de in Capitulari I. Carolomanni 52.): *nandi,*  
*illas venationes & silvaticas vagationes*  
*cum canibus, omnibus servis Dei interdi-*  
*cimus: similiter ut accipitres & falcones*  
*non habeant.* Occasionem Clericis &  
 Monachis dederunt Bona collata in  
 Ecclesias & Monasteria cum silvis,  
 aquis & latifundiis &c. silvarum au-  
 tem communis reditus erat venatio,  
 ex

PFEFFINGERUS ad Vitriar. lib. 3. tit.  
 18. fol. 1360; seqq. Id solum observo,  
 jus venandi simplex, quod privatorum  
 silvis fundisque semper cohæsit, ex  
 recentiorum quorundam Jure-Consul-  
 torum affectatis principiis male con-  
 fundi cum banno ferino, quod semper  
 regil juris fuit, & hodie inter Regalia  
 Principis optime recensetur.

51.) C. 1. dist. 34. cui consonat c. 2. & 3.  
 ibid.

52.) Ann. 742. c. 2. Idem habetur Ca-  
 pitular. lib. 7. c. 125. PIPPINUS Capi-  
 tular. Snession. ann. 744. c. 3. *Clerici*  
*non habeant canes, ut venationes faciant,*  
*nec accipitres portent.* Idem Capitul. I.  
 CAROLI M. anno 769. c. 3. & Capit. I.  
 anno 802. c. 19.

ex jure proprietatis dependens. Plurima Diplomata expressam faciunt mentionem *Venationum*, ut videre est apud collectores Diplomatum. Unum alterumque exemplum nobis sufficiat. Apud SCHANNATUM (53.) S. HENRICUS Ecclesie Wormatiensi donat prædium Pipinesdorff *cum cunctis suis pertinentiis, hoc est, arvis, ædificiis, servis & ancillis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, Venationibus &c.* Eadem fere formula idem Henricus apud MEICHELBECK (54.) Monasterio cuidam concedit prædium *cum omnibus pertinentiis . . silvis, venationibus . . piscationibus &c.* unde bene colligimus, in ejusmodi donationibus, quando dantur, vel permutantur prædia cum omnibus pertinentiis, intelligi plerumque hoc nomine etiam venationes.

§. 308.

53.) Histor. Episcop. Wormat. in Codice Probationum ad ann. 1004.

54.) Hist. Frising. tom. I. part. 2. fol. 486. Similiter fol. 491. refertur aliqua permutatio bonorum, ubi GEBEARDUS Episcopus Ratisbonensis, Ecclesie Frisingensi tradit aliqua bona, *cum ædificiis, silvis, venationibus omnibus ad locum prædictum pertinentibus.*

§. 308. Ut autem Ecclesiæ, Monasteria, & alii privati fundorum domini possent alios a libertate vendendi prohibere, necessarium erat Bannum regium, quod etiam nominatim Reges sæpius concesserunt. Exemplo sit concessio S. HENRICI Imperatoris 55.) , qui Burchardo Wormatiensi Episcopo concessit Regium Bannum in Forestu Forehahinuncupato . . . ut nulla de eo Forestu persona aliquam feram, vel bestiam ibi venari vel capere, aut insequi præsumat sine licentia Episcopi Burchardi &c. Vicissim autem sæpe Principes annua quædam emolumenta ex venationibus Ecclesiarum exigebant. Certe MATTHÆUS DUX Lotharingæ exactiones venationis, quas juste vel injuste apud Mamonis villam habebat, Abbatibus & fratribus ejus loci libere concessit in perpetuum 56.).

Et prohibendū alios?

§ 309 Fatendum plane est, placidam venationem non omnino denecere *Quæ venationes prohibita sint Clericis,*

- 55.) Apud SCHANNAT Hist. Eccles. Wormat. in Cod. Probat. ad ann. 1002.  
 56.) Hist. Trevir. Diplom. tom. I. fol. 571. Plura exempla vid. apud DU CANGE &c Glossar. verb. Venationes.



decere Clericos, nisi nimio venandi studio impediatur ab exercitio functionum suarum, vel immodico strepitu & pompa modestiam Clericalem violent. Unde gravis prohibitio Concilii Moguntini (57.), ne Clerici & Monachi canes & aves sequantur ad venandum, immiscetur iis actibus, qui etiam Laicos dedecent, claro argumento, venationem prohiberi, quando propter graves abusus statum Clericalem dedecent, sicut alii actus ibidem reprehensi. Singularem tamen ratione interdicuntur Clericis venationes tempore quadragesimali, ne dies poenitentiae destinati, relaxationi animi & recreationi impendantur, & ferae sternantur eo tempore, quo earum carnibus vesci non licet (58.)

---

57.) Quod refertur in C. I. Ne Cler. vel Monachi &c.

58.) S. AMBROS. serm. in Domin. 3. quadrages. relatus in C. 13. dist. 86. NICOLAUS I. ad Consult. Bulgar. c. 44. apud HARDWIN. tom. V. Concil. col. 369. CAROLUS M. confirmat donationem Patris sui Pippini Monasterio cuidam factam de portione silvae Aquilinae cum venatione cervorum & capreolorum, ex quorum coriis libros ipsius sacri loci cooperiant, & infirmorum fra-

licet 58.) : eo enim potissimum sine venationes ab Ecclesiasticis fieri deberent, ut Ecclesia percipiat emolumenta per jus venandi competentia. Si qui excessus contingant, pœnæ erunt arbitrariæ. Si autem Clerici venentur in silva aliena, invito ejusdem domino, ægre ferre non debent, si venatores ordinarios eorum nemo- rum parum civiles erga se experiantur, & instrumentis venatoriis spoli- entur.

§. 310. Serenissimus HENRICUS *Et ex*  
Cardinalis Eboracensis anno 1763. ce- *quibus*  
lebravit synodum Ecclesiæ Tuscula- *causis?*  
næ, ubi inter Constitutiones Syno-  
dales 59.) recenset causas, propter  
quas tumultuosum venationis genus  
Sacri Canones Clericis interdixere,  
his verbis : „ prima est frequens,  
„ quod in hujusmodi venationibus  
„ occurrit, perpetrandi homicidii,  
„ adeoque incurrendæ irregularitatis  
„ periculum. Secunda est propriæ  
B b vitæ

---

trum corpora ad tempus reficiantur.  
Nam Monachi extra articulum infirmi-  
tatis a carne abstinebant. Eckart de  
Reb. Franc. Orient. lib. 24. n. 149. tom. 1.  
59.) Part. 2. cap. 6. art. 11. fol. 422.  
*De Judic. Crim.*

„ vitæ discrimen , quod Clerico Ve-  
 „ natori vel a feris , vel ab aliis ve-  
 „ natoribus imminet. Tertia est,  
 „ quia propter clamorem, ac tumul-  
 „ tum venatio hujusmodi plurimum  
 „ Clericalem modestiam dissolvit &  
 „ dehonestat , & ob tubarum clan-  
 „ gorem , strepitumque hominum,  
 „ ac belluarum , & immitem sangui-  
 „ nis ferarum effusionem , quandam  
 „ belli speciem præferebat , & asperi-  
 „ tatem quandam , ac truculentiam  
 „ in venatorum animis excitat, quæ  
 „ Ecclesiasticæ lenitati omnino ad-  
 „ versatur. Quarta est , quia Cleri-  
 „ ci his venationibus addicti, divina  
 „ negligunt officia , aliaque Eccle-  
 „ siastica munia , quæ obeunda ab  
 „ iisdem essent , obire recusant.  
 „ Quinta demum est , quia Ecclesia-  
 „ stici proventus in pauperes, alio-  
 „ ve pios usus a Clericis erogandi,  
 „ in rebus ad venationem hujusmo-  
 „ di necessariis comparandis, confen-  
 „ vandisque facile dissipantur: qua-  
 „ re locum hic habet justissima illa  
 „ Christi admonitio : *Non est bonum*  
 „ *sumere panem filiorum, & dare*  
 „ *canibus.*